



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. Cujusnam necessitatis est baptismus ad salutem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

tissimi necessitatem ad salutem significasse quàm die Pentecostes.

Quest. 6. Cujusnam necessitatis est Baptismus ad salutem?

Resp. Non solum est necessarius, necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; adeo ut si quis non sit baptizatus, nunquam introire possit in regnum caelorum. Quod quidem clarè patet ex dictis Christi Domini Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum Dei*, quæ verba explicans Divus Ambrosius, ait; *Vtique nullum exceptit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Hoc autem propriè dicitur necessarium necessitate medii, sine quo finis obtineri non potest.

S. Ambros.
lib. 2. De A-
braham. cap.
ultimo.

D. Aug. lib.
3. cap. 9. De
anima & ejus
origine.

Patet etiam ex Divo Augustino. *Noli credere, noli dicere, inquit, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Idem Divus Augustinus in Epistola 28. ad Hieronymum ait, *Quisquis dixerit quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti hujus participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omninò vivificari non posse.*

Quest. 7. Est-ne necessarium ad salutem, suscipere in re Baptismum, an sufficit ipsum recipere in voto?

D. Tho. 3. p.
q. 68 art. 2.
in corp.

Resp. Respondeo ex Divo Thoma: *Sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse: uno modo & re & voto, quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt,*